



Antiquae Lectionis Tomus ...

In Qvo XVI. Antiqua Monumenta Ad Historiam Mediae Aetatis Illustrandam,
Nunquam Edita

Canisius, Heinrich

Ingolstadii, 1601

Qvod Patre Cæsare Editvs Sæculvm Regniqve decus speuerit. Ode
Monocolos Tetrastrophos, metrum Asclepiadeum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64144](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64144)



INCIPIVNT QVIRINA
LIA METELLI IN LAVDIBVS
BEATI QVIRINI GLORIOSI MARTY-
ris, ad instar Odarum Flacci Horatij diuerso me-
tri genere contexta.

Ita Apographū
ex m. 6.

QVOD PATRE CÆSARE E-
DITVS SÆCVLVM REGNIQVE
decus spreuerit.

ODE MONOCOLOS TETRASTRO-
phos, metrum Asclepiadeum.



FLOS pūrpureus, tu rosa nobilis,
Martyr conspicuus, testis idoneus,
Stirpis Cæsareæ germen amabile,
Cula Sydereæ clarus in ordine.

Pro Christi positus nomine fascibus,
Regni delicias ac diademata
Spernens, diuitias cunctāq; terrea,
Regnum perpetuum sanguine possides.
Felix qui superi munera luminis,
Eterniq; boni iura perennia
Nancisci potuit, merce solubili,
Lucrans astra solo, carcere regiam.
Fortis qui rigidas spernere cuspides,
Instantem gladium temnere quiuerat
Acer, cui solij gloria sorduit,
Et in imperij pro nihilo fuit.

Præpollens animis, celsus acumine,
 Secreuit placidus fluxa manentibus,
 Hæc ex arbitrij culmine despicit,
 Hæc quærens auido pectore * suscipit.

*fort. suspicit.

Margarita nitens & pretio bona,
 Spreuit patricij munia nominis,
 Vix prætexta togæ serica cesserat,
 Loricam fidei mox tener induit.

Ad bellum properat, quod malè suscitæ
 Indignata piis ira tyrannica;
 Regnant orbe furor atque malignitas,
 Virtus, iustitia, sunt quasi crimina.

Stat lex, culpa sedet, arbiter est reus,
 Plectit pœna probos debita noxiis,
 Ut collisa magis clarius emicet
 Iustorum bonitas & patientia,

Auri more, rudis rudera quod scrobis
 Aut limus madidis contribulant vadis,
 Lectum diluitur de patriis aquis,
 Si quid sordis inest, Mulciber excoquet;

Insignes animas sic Deus, erutas
 Diræ barbarie splendiscat fide:
 Gentili rabie cum pius erudit,
 Labis terrigenæ fecibus eluit:

Hinc opphrotico, purius obrizo
 Mundans, supplicij dedicat ignibus,
 Gemmatas meritis ornat herilibus,
 Cunctis vnde micat gratia præpotens.

Nunc alto residens æthere fulgidus,
 Laudis vota tuæ magne pater iuua,
 Vires ingenio sancte Quirine da,
 Aptum pande stylum, carmina dirige,

HENRICH
 SJJ
 COM. Jm
 SIV
 24

Vincunda canat plebs tibi cantica,
 Quae spem subsidij certa gerit tui,
 Donis supplicibus concilians sibi
 Olim nota tuae munera gratiae.
 Regum corda regas, clarifica duces,
 Primates doceas iustitiam sequi,
 Pacem des populo, dirige praesules,
 Firmes Ecclesiam, schismata dirue,
 Indulge precibus, crimina dilue,
 Languentes releua, solue pericula,
 Annonas tribue, pelle nocentia,
 Laudemus dominum te duce perpetim.

Quod anno Romanæ vrbis Millesimo, Philippus primus
 Christianus Imperator cum filio Philippo regnaue-
 rit. Et de ludis triduanis in campo Martio.

ODE DICOLOS TETRASTROPHOS
 metrum Sapphicum,

Iam satis terris, ratione verbi,
 Qua Deus dignans habitare terris,
 Corporis nostri sibi membra iunxit,
 Virgine matre,
 Grandinis duræ pater ille misit,
 Cuius excedens vtero perenni
 Perstat Æneis glacies ruinis
 Irresoluta.
 Dexteram cælo validus rubentem
 Extulit, cornu crucis explicatam,
 Et micans hasta bene fulgurante
 Perculit orbem.

Terruit